



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

Titulus I. De judiciis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63277)

LIBER II.

TITULUS I.

De judiciis.

Primordiis juris expositis, conditor Decretalium recte & Justiniani exemplo subjicit tractatum de judiciis, quæ sunt juris objecta, in quo jus versatur. Sed Justinianum in methodi observatione superavit: quatenus Imperator non uno loco omnes actus judiciales posuit, neque in secunda parte Digestorum, neque in tertio libro Codicis, sed in alia & diversa loca tam in Digestis quam in Codice dispersit; hoc autem libro omnes pulcherrimo ordine disponuntur, ut ex sequenti interpretatione apparebit. Datur ergo primo loco titulus generalis de judiciis tanquam hujus libri fundamentum. §. Quia vero huic tractatui videor satisfecisse *D. b. t.* hic tantum addam judiciorum divisionem in Ecclesiastica & secularia. Ecclesiasticum judicium est, quod coram iudice Ecclesiastico inter personas Ecclesiasticas, vel saltem contra personam Ecclesiasticam (siquidem actor sequitur forum *rei*, ut *seq. tit.* dicetur) aut de causa Ecclesiastica

d 2

stica

stica agitur. Seculare est, quod coram iudice laico inter personas seculares de causa seculari exercetur. *cap. 2. & inf. tit. pro. cap. 1. & c. licet 10. & c. seq. & Clem. 2. & de offic. jud. delegat. c. causam matrimonii cum sim.*

II. De foro competentis.

- 1** Jam explicandi sunt actus quoque magis ad judicia pertinentes. Sex sunt in quibus enarrandis sequentes hujus libri tituli continentur. I. Præparatoria iudicii, id est, quæ cumque fiunt ante litem contestatam. II. Principium iudicii, id est, litem contestatam. III. Media, quæ litem contestatam & sententiam definitivam sunt interjecta. IV. Finis, id est, sententia, & ejus executio. V. Impedientia jurisdictionem, vel sententiæ executionem.
- 2** VI. Confirmantia. §. Incipiamus a præparatoriis futuri iudicii. Primum præparatorium est vocatio in jus, de qua *D. & C. de ius vocand.* §. Nota primo, reum vocandum esse ad iudicem competentem: qua de re præcipitur hoc titulo, & *D. de iudic. & C. de ius omni iudic. & 13. titulis sequentibus.* §. Nota secundo, sicut iure civili. *C. de iurisdict. non iudic. l. 2.* ita etiam iure canonico actum sequi forum rei, *cap. cum sit. 8.* §. Nota tertio, clericos habere privilegium ne conveniantur coram iudice laico: cui privilegium renunciare non possunt. *cap. si diligenti. 11.*